



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

9. Dies Octob. Sapiens assuescit fututis malis, & quæ alii diu patientido levia faciunt, hic levia facit diu cogitando; Seneca Epist. 18.

---

---

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

## 9. DIES OCTOB.

Sapiens assuescit fututis malis, & quæ alii diu patienti-  
do levia faciunt, hic levia facit diu cogitando;  
*Seneca Epist. 18.*

Præme- I.  
diratio  
malorum.

**V**Ita quam agimus duos habet  
tortores, Timorem; & Dolo-  
rem. Alteruter semper hæret à  
tergore, hinc mœror in pe-  
ctore. Dum est adversitas, ferit nos dolor; dum pro-  
speritas, tundit nos Timor. Nam timemus ne quod  
gratum est perdamus. Itaque quando tibi benè est,  
times; quando malè est, doles. Ut ab utroque hoc tor-  
tore simus immunes, plurimum facit, si mala futura  
præmeditemur. Quapropter in tranquillitate tempe-  
statem, in sanitate morbum, in divitiis paupertatem  
in prosperis calamitatem, expecta. Quidquid expe-  
ctatum est diu, lenius accidit, & mali præcogitati  
mollius ictus venit. Leæna fertur, cum catulos defen-  
dit, oculorum aciem defigere, ne expavescat venabu-  
la. Generosior est Virtutis mos: erigit, tergitque  
frontem, & aperta discrimina, sereno, securoque in-  
tuitu lustrat, & illis præmeditando occurrit; Extra jus  
fortunæ est; nihil fortuitum videt, omnia expectat.  
Jaculis prospectis, corpus subducimus: subducit præ-  
visio animum malis: scit illudere, dum illudit. Fugare  
miserias, aut fugere, non est nostri arbitrii. Præmedi-  
tatio illas mitigat. Vis est magna in diuturna familia-  
ritate. Sicuti nimia familiaritas, & conversatio minuit  
reverentiam: ita malorum familiaritas, calamitatum  
timores extenuat.

II. Præcogitanda ergo sunt omnia, & adversus ea,

*Pars III.*

E e e

quæ



quæ possunt evenire, firmandus est animus, ne in-  
 mis fortunæ telis deiciatur. Tota anto oculos for-  
 humanæ conditio ponatur : nec quantum frequen-  
 ter evenit, sed quantum plurimum potest evenire  
 præsumamus animo, si nolumus opprimi, nec in-  
 inusitatis velut novis stupefieri. In omnia præme-  
 tendus est animus : cogitandumque non quicquid  
 solet fieri, sed quidquid potest fieri. Imperetur æque-  
 tas animo, & sine querela mortalitatis tributa pe-  
 demus. Hyems frigora adducit; algendum est; he-  
 temperies cæli, valetudinem tentat, ægotandum est.  
 Et fera nobis alicubi occurret, aut homo feris omni-  
 bus perniciosior. Aliud aqua, aliud ignis eripiet. Hæc  
 rerum conditionem mutare non possumus, id possi-  
 mus, Magnum sumere animum, quo fortiter fortis-  
 ta patiamur : Interrogatus Diogenes quid in Philo-  
 sophia didicisset ? prompte respondit : Prævident  
 adversa, & cum advenerint, illa patienter ferre. Dies  
 medetur malis, ita & meditatio: atque utraque callus  
 obducitur mœrori. Quædam enim laborum consue-  
 tudo, cogitatio est. Dolorem quem alii diu sustinen-  
 do, sapiens diu meditando lenit. Majora videntur  
 quæ accidunt subitò; negant enim spatium confide-  
 randi, quantula sint.

III. Hæc igitur præmeditare. Dominus es, & im-  
 peras? servire potes. Opes tibi affluunt? Etiam men-  
 dicare potes? vires & valetudinem ostentas? unica re-  
 febricula, unica imò guttula necare potest. Liberi tibi  
 sunt? Uno die omnes extingui possunt. Amici tibi  
 sunt? Et amicis & rebus omnibus una te horula  
 momentum unicum privare potest. Ad hæc præme-  
 ditando te præpara, ut cum mors amicos, aut liberos  
 ab-



astraxerit, dicas quod mulier Spartana. Sciebam me mortales genuisse. Cum pecunia diffluerit: sciebam non semper fore meum, quod solo usu fuerat meum: serò animis ad periculorum patientiam post pericula instruitur. Non putavi hoc futurum: nunquam hoc eventurum credidissem. Quare autem non? Quæ sunt divitiæ, quas non egestas, & fames, & mendicitas à tergo sequatur? Quæ dignitas: quæ non nullæ maculæ, & extrema contemptio comitetur? quid regnum est, cui non parata sit ruina, & proculcatio, & Dominus, & Carnifex? nec magnis interval-  
lis divisa, sed horæ momentum interest inter Imperium, & exilium, imò inter solium, & sterquilinum. Scito igitur omnem felicitatem desultoriam esse, & quicquid ulli accidit, posse & tibi accidere. Tantum cavendum est, ne quid tibi subito accidat. Subitæ mutationes lædunt corpora, ita & animos sauciant. Vicissitudines animi subeunt paulatim: non saltu ab hyeme in æstatem itur; intercedit ver; ne repentinus ardor quasset valetudinem. Meditatio præparat animos ad malorum æstus, sicut vernus tepor artus. Altè ergò illud tibi imprime. Tela prævisa minus feriunt: cui calculum adjicit Poëta:

*Se minus afflictum sensit, qui prævidet ictum.*

## 10. DIES OCTOBRIS.

Si vis omnem sollicitudinem exuere, quidquid vereris ne eveniat, eventurum utique propone. *Seneca Epist. 24.*